









1687.

- 21<sup>a, b</sup> Müllerus, Petrus: De gradu doctoris 2 Sumpl.  
1687: 1715.
22. Müllerus, Petrus: Lex Rutilia Palla 69. 8. de  
contrah. emt. vend. . . .
23. Müllerus, Petrus: De crimine majestatis Rec. 1712.
- 24<sup>a, b</sup> Müllerus, Petrus: De diebus juridicis . . .  
2 Sumpl. 1687: 1711.
- 25<sup>a, b</sup> Müllerus, Petrus: De purificatione in fraudem  
creditorum facta. 2 Sumpl. 1687: 1712.
- 26<sup>a, b</sup> Müllerus, Petrus: De pari causa. 1 Sumpl. 1687  
2 1713.
27. Müllerus, Petrus: De conditionibus donis  
ultimis voluntatibus adjectis.
28. Müllerus, Petrus: De absurdo.
- 29<sup>a, b</sup> Müllerus, Petrus: De bonis parochialibus. 2 Sumpl.  
1690: 1705.
30. Rappius, Henr. Balther: De concordia

1687.

31. Rahnus, Hans. Balbh: De fundo mere hereditario  
32<sup>at</sup> Rahn, Hans. Balbh.: De novatibus - - -  
33. Säg, Tharins, Caspar: Antiquitates Alstedenses et Pala-  
tinatus Saxonici.  
34. Schroederus, Johannes Christianus: Ad legem singularem  
C. de inofficiosis Testibus.  
35. Schroeterus, Christianus: Quomodo nuda scientia  
crimini quem involvat.  
36. Stevoglier, Philippus: De dominio hominis in res sub-  
terraneas deque domini hujus usu.  
37. Sturcius, Georgus Adamus: De testimonio peritorum  
in arte.  
38. Sturcius, Georgus Adamus: De vineis  
39. Wedelius, Georgus Wolffgangus, Jac. med. doctor: Pro-  
pempticon inang: De morbo inspuitato. (ad disputa-  
tionem inang. Sigismundi Waxmanni invitat).

o  
Pala  
um  
h.  
um  
P.  
a.



GR

I

J





2656  
17  
1687, 38  
368  
24  
D. M. AE.  
DISPUTATIO JURIDICA  
DE

VINEIS,

QUAM

SVB PRAESIDIO

DN. GEORGII ADAMI STRVVII,  
JCTI,

SERENISSIMORVM DVCVM SAXO-VINARIENSIVM  
CONSILIARII INTIMI,

REGIMINIS CONSISTORIIQVE SAXO-JENENSIS  
TVTELARIS PRAESIDIS

GRAVISSIMI,

CVRIAE PROVINCIALIS ADSESSORIS  
PRIMARI,

FACVLTATIS JURIDICAE ET SCABINATVS  
ORDINARI,

DN. PARENTIS SVI SVBMISSA VENERATIONE  
AETERNVM PROSEQVENDI,

PVBlicae DISQVITIONI EXPONET

GEORGIVS GOTTLOB STRVVIVS.

JENAE,

Typis JOHANN. ZACH. NISII.

A. clo lcc LXXXVII.



D. M. NE.  
DISTVATIO IVRIDICA  
DE

V I N E I S

SUB PRÆSIDIO

DR. GEORGE ADAMI STRVVI

ICTI

SEPTENNIOREM DUCVM SAXO-THVARIENSIVM

CONSILIARIUM INTIMUM

REGIMINIS CONSISTORIIVE SAXO-THVENSIS

TVT. ELARIS PRÆSIDIS

GRAVISSIMI

GRÆIÆ PROVINCIAE ADDESSORIS

PRIMARIJ

FACULTATIS IVRIDICÆ ET SCABINATVS

ORDINARIJ

DR. PÆDAGOGI ET PÆDAGOGI VENERATIONE

REVERENDI


PUBLICÆ DISCVSSIONI EXPONIT

GEORGIVS GOTTLOB STRVVIVS.

LEWIS

THE JOHANNES SAACH NIEL

A. G. DE LXXXVII





## CAPVT I.

De  
*Etymologia Vineæ, & quæ ad no-  
minis notationem  
pertinent.*

### §. I.

**V**Inearum jura tractaturus ne peccem  
contra morem rationemque artis nostræ,  
inprimis necessarium esse puto, ante-  
quam ea, quæ propius rei ipsius essentiam  
contingunt, proponam, nominis nota-  
tionem & quæ spectare huc videbuntur, paulo diligentius  
præmittere, ne verborum neglectus rerum postea pariat  
incertitudinem, & quam tantopere detestatur Imperator  
noster *l. ult. C. de legit. tutor. fæda nominum ac rerum se-  
quatur confusio.* Quæ ipsa quoque ratio veteres juris no-  
stri Consultos quam maxime reddidit sollicitos, ut in fon-  
tibus verborum notandis ac varia nominum significatio-  
ne enodanda non mediocriter laborarent. Ulpianus cer-  
te huic studio tanto ardore fuit deditus, ut illum eapro-  
pter

pter vocatum fuisse *ὄνομα τοῦ ἴππου* Athenæus scribat 3. *Dei-  
psoph.* & ex eo summus Cujacius l. 24. *Obs.* 39. in π. ut de L.  
Ælii, Galli, Gaji, Pauli, Labeonis aliorumque magna hac  
in parte solertia nunc nihil dicamus. *vid. l. 1. pr. de J. & J.  
l. 1. pr. de reb. cred. l. 49. de V. S. add. Anton. August. 2.  
Emend. 1. & 2. Galvanum Jctum elegantissimum de V. sufr.  
c. 1. Morill. 1. obs. 10.*

§. II.

*Vineam* a *Vino* nominis originem habere dubio ca-  
ret, estque elegans Magni Vosii observatio, qui voca-  
bulum hoc non Substantivum, ceu postea illud usurpa-  
tum, sed propria vi & natura sua adjectivum, a ma-  
sculino *Vineus* scilicet, esse, non sine probabili ratio-  
ne monet; quam in rem notabilis est locus apud Soli-  
num c. 11. ubi de miraculosis Siciliae fluminibus ita inter  
alia: *Dianam qui ad Camerinam fluit, si habitas impu-  
dice hauserit, non coibunt in corpus unum latex vineus &  
latex aque.* Illud vero facile apparet sub nomine: *Vi-  
nea*: tanquam Adjectivo subintellectum fuisse Substanti-  
vum: *Terra*: quod forte ex brevitatis studio omisit anti-  
quitas, usque dum usu paulatim invalescente ipsum Ad-  
jectivum pro Substantivo passim usurpari coepit.

§. III.

De vocabuli *Vini* origine major est inter Grammati-  
cos Criticosque disceptatio: Ex Antiquis Varro IV. de LL.  
vinum a *Vi* dictum arbitratur, eo quod vim inferat men-  
ti, tantam scilicet nonnunquam, ut secundum tritum  
proverbium, *& senem etiam vel nolentem saltare atque*  
ducta-

ductare choreas compellat : quo pertinet etiam Plinia-  
 num illud : *Sapientiam vino obumbrari* : hanc tamen de-  
 rivationem recte rejicit Voss. in *Etymol. hac voc.* Sunt enim  
 hujusmodi originationes non grammaticæ sed parago-  
 gicæ saltem, allusivæ & stoicæ, de qua distinctione vi-  
 de *Contium 2. Lect. subcesiv. c. 6. B. Dn. Tab. 3. part. sect. 4.*  
*§. 24. in ἐκφρα.* Erythræus in *Indice Virgiliano voce*  
*Imago*, ex sententia Joviani Pontani vinum dictum au-  
 tumat quasi *vitinum a viti* : similem nimirum huic vo-  
 cabulo συκοπῆν contigisse, quam alias quoque dictio-  
 nes passas esse frequenter observamus, ita imaginem,  
 dictam quasi imitagem, tegmen quasi tegimen, mo-  
 mentum quasi movimentum &c. pari itaque ratione vi-  
 num adpellatum fuisse quasi vitinum : sed neque hæc  
 nominis notatio eruditis placet. Tutissimum itaque &  
 simplicissimum erit, si Vossio accedamus, qui recte  
 apud Græcos ( a quibus, uti infra ostendemus, Latini  
 usum vini accepere ) hujus vocis incunabula quærit,  
 meritoque censet, vinum dictum a Græco *ἔινον*, *omis-*  
*sa scilicet præpositiva & præmisso consono V. Æolum mo-*  
*re*, quos Latinos in nominum flexuris frequentissime  
 imitatos esse aliunde discimus : Neque ratione desti-  
 tuti videtur altera illa summi viri conjectura *ἔινον* a Pu-  
 nico & Hebræo vocabulo *Jain*, quod ipsis vinum est,  
 descendere. Græcum enim idioma multa Hebraicæ  
 linguæ debere modo non plane ei natales suos debeat,  
 alibi ab Eruditis ostensum est. Aliam vocabuli *ἔινον* de-  
 rivationem vide apud Lud. Cælium Rhodiginum *Lect.*  
*Antiqq. Lib. 16. c. 3.*

A 3 §. IV. II-

§. IV.

Illud, dum de vocabuli *vini* origine hic tractamus, silentio prætereundum non est: Reperiri inter doctos ævi nostri, in exornanda gentis nostræ lingua indagandisque genuinis ejusdem originibus cum laude versantes, qui, uti plurimarum vocum, cum Græcarum tum Latinarum quoque natales ex veteri Celtarum lingua deducunt, hancque ipsam Celticam linguam utriusque & græci & latini idiomatis matrem faciunt; ita etiam non solummodo Latinum vocabulum, Vinum, sed & Græcum, *ἄνθος*, a Veteri vocabulo Celtico, Germanis nostris etiamnum hodie usitatissimo, **Wein** / derivare non dubitant. Vid. *Clarissimum Hachenbergium b. m. in elegantissimo opere de Germania Media Dissert. 8. §. 4. add. quoque Joh. Lud. Præschium, Virum de re literaria insigniter meritum Dissert. de Origine Germanica lingvæ Latinæ*; ubi passim id agit Vir celeberrimus, ut probabili ratione demonstrat, linguam Latinam pro matre habere veterem Celticam, Germaniamque nostram radices Latinæ lingvæ possidere, quam etiam opinionem jam olim fovisse Scaligerum, Lipsium, Becanum aliosque passim memorat. Horum itaque sententiam si sequimur, non est, quod in Græcia vocabuli Vini natales quæramus, cum nos in patria genuinam illius originem ostendere possimus, quod tamen nunc in medio relinquimus. Illud leve est, quod Scioppius monet, Germanorum **Wein** / cum a Latinorum Vino, ceu putat, descendat potius per V. scribi debere, quam per W: Nimirum animadvertere debuisset Criticus, insigne quoad pronunciationem literæ V. inter Germanos Latinosque intercedere discrimen. Germanorum enim V. rude atque durum esse ipse sonus satis testatur, cum econtra Latinum  
admo-

admodum leniter molliterq; proferatur, ita ut per W.  
Germanorum omnium optime exprimatur.

§. V.

Exposita Etymologia vocabuli vineæ, proximum  
nunc est, ut de varia hujus vocis significatione quam  
passim apud Scriptores observare licet, paucis aga-  
mus: Inprimis autem huc pertinet celebris illa *machina*  
*bellica*, cujus frequentissimus olim in obsidionibus  
apud Græcos pariter ac Romanos fuit usus, quamque  
a Vineæ rusticæ similitudine *Vineam* dixerunt. Milites  
nimirum Romani, ut eo securiores essent adversus mis-  
silia & tormenta oppidanorum, in obsidionibus opera sua  
facere solebant pluteis tecti aut vineis. Et plutei quidem  
similes erant illis appendicibus, quas ædificiis applicare so-  
lemus, & tectum in unam partem devexum habent, ut  
& plutei, in quibus scribere consuevimus: Vineæ vero in  
utramq; partem devexitatem tecti habebant. Elegantem  
hujus machinæ descriptionē ex Herone refert Lips. *Poliorc.*  
*l. 1. Dial. 6. Ligna Testudinis* (ita dictas fuisse vineas mino-  
res & leves ex Apollodoro in *Poliorceticis* discimus,) *quæ*  
*militēs ferunt, ejusmodi, erecta in altitudinem, inequa-*  
*lia, singula duodecim digitos circiter crassa, quinque pedum*  
*intervallo disjuncta. Connectuntur inter se sic, ut quinarium*  
*illud intervallum semper servetur. Horum quæ altiora viri*  
*staturam & dimidiam æquant: humiliora unam tantum.*  
*Habent inferne cuspides, quibus terra infixa sublevant por-*  
*tantes. Coria appenduntur crassa, vel cilicia, superius au-*  
*tem rugosa, non extensa, ut in hoc tumidum aut molle tela in-*  
*cidentia frangantur & lentescant. Add. Adrian. Turneb.*  
*lib. XI. Adversar. c. XXIV. ubi similem fere descriptionem*  
*ex Apollodoro adducit, Robertum Valturium lib. 10. de re*  
*mi-*

*militari c. 4 Bœcler. in Ind. ad Corn. Nepot. voc. vinea.* Hujus autem machinæ & usus & nomen hodie desit, postquam longe commodiores excogitavit hominum solertia, putatq; Bœclerus *loc. cit.* successisse in ejus locum machinam frequentissime in obsidionibus hodie usitatam, quam vulgo *Gallerie* adpellare consuevere: imo jamtum Vespasiani ævo, retento instrumenti usu, nomen mutatum esse, & militari barbaroque usu *Cattas* vel *Causias* vineas fuisse appellatas, Vegetius nos docet *lib. 4. c. 15.* ubi vide *Stewechium*. Hæc itaque machina cum, uti diximus, a vineæ rusticæ similitudine adpellationem suam haberet, sollicita hac in re fuit nonnullorum ex veteribus Grammaticis cura, ut, quo clarius esset utriusque rei discrimen, bellicum instrumentum, nimirum vineam castrensem per I scribi voluerint (Vinia), agrum vero vitibus consitum per E (Vinea): Sed risit jam olim anxiam hanc Criticorum scrupulositatem Annæus Cornutus *apud Casiodorum lib. de Orthographia*, ubi ita: *Vineas per E quidam scribendas tradiderunt, si has significarent, quas in agris viderimus: at contra per I vinias illas, sub quibus latere miles solet, quod discrimen stultissimum est. Nam neque aliunde vineæ castrenses dictæ sunt, quam quod vineis illis agrestibus similes sint.* Hæc Cornutus. Illud monuisse suffecerit, eam, quam modo explicavimus, vocabuli significationem, hujus loci minime esse.

§. VI.

*Propter instans iter, cum vix ac ne vix quidem sufficeret Typographi diligentia, quo nostra de vineis disertatio integra prodiret: illud a Tua humanitate speramus, LECTOR BENEVOLE, daturum Te veniam, si ex potioribus controversiis quasdam oculis Tuis subjicimus, ingeniiq; exercendi causa placido commilitonum examini submittimus.*



D. M. AE.

# THESES JURIDICÆ

De

# VINEIS.

§. I.



Vineas ante diluvium quoque cultas fuisse, haud vana conjectura adseritur.

§. II.

Neque Noah accepit vitem denuo plantandam, neque asservavit ejusdem malleolas quasdam in arca.

§. III.

Patriam vineæ à Noah plantatæ in Scythia quaerendam esse arbitror.

§. IV.

Germanos accepisse vini usum à Latinis probabile est.

§. V.

Sub Imperio Francorum nondum ubique in Germania vinum proveniebat, & vineæ tunc temporis erant rarissimæ.

§. VI.

Expedit nonnunquam ex agris vineas facere, itemque ex sylvis.

§. VII.

Custodia vinearum non pertinet ad vinitores.

§. VIII.

Inter Volvocem, Convolvulum & involvulum nullam admittimus differentiam.

⌘

§. IX.

§. IX.

Vlpianus (*l. 15. §. 2. π. loc. conduct. Sed et si Vredo fructum corruperit, aut Solis fervore non adsoeto acciderit*) a C. Plinio (*Hist. nat. lib. 18. c. 28. omnem uredinem frigore tantum constare sole innoxio*) haud dissentit, ubi putat Praetorius (*Lex. hac voc.*)

§. X.

Propagatio vineæ pertinet ad impensas necessarias.

§. XI.

Si vinitori permiserim tantum mercedis, quantum alii dabunt cives, & salarium illud sit diversum, minimum, ex iis, quod soliti sunt, præstandum est.

§. XII.

Si qua in urbe sunt constituti custodes publici haud licet privato custodiam hanc in præjudicium universitatis rejicere.

§. XIII.

Vinum Falernum & Aminæum sunt vina distincta.

§. XIV.

Martialem *lib. 4. Epigr. 32.* potius de vino, quod Lacrymæ vocabatur intelligo, quam de Græco. *Diss. Raderus Jes. ad b. l.*

§. XV.

Bonis potatoribus incumbit quæstio decidenda: quodnam vinum sit nobilissimum.

§. XVI.

Feriæ vindemiales judiciariam curam laxant; nec obst. uti Gothofredus existimat, *l. 20. π. de in Jus Voc.*

§. XVII.

Lex secunda *C. de fer.* pro supposititia jure meritoq; habetur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Etiam diebus sacris vindemiare licet.

§. XIX.

Vinea per annum inculta dimissa, nec vindemiata, cum idem dominus alias suas vineas coleret, & vindemiaret, habetur pro derelicta, ex sententia nonnullorum DD. quæ tamen admodum dura videtur.

§. XX.

Vitis cedit solo, ubi radices egit, nec *obst. l. 6. §. ult. π. Arb. furt. cas.* & eadem evulsa communis est pro parte scilicet, quam quisque in suo fundo habuit: *nec obst. l. 19. π. Com. div. & l. 8. de A. R. D. §. 1.* neque Jus Saxonicum hac in re quicquam mutavit; aliud autem moribus nostris receptum novimus.

§. XXI.

Fructus in vicini fundum propendentes vel decidentes, fiunt vicini secundum jus nostrum Saxonicum, secus de Jure Civili. *Diss. Dn. Thomæ. p. m. de nox. anim. c. 16. num. 9.*

§. XXII.

Lex est XII. Tab. *Tignum junctum adibus vineisq; & concapu non solvito*: quam recte emendavit Scaliger: *Tignum junctum adibus vineisq; & concapes non solvito.*

§. XXIII.

Non est discrimen respectu actionum inter illum, qui M. F. junxit Tignum vineæ, & qui B. F. *vid. venerandum Parentem, quem D. O. M. Reip. mibiq; diutissime servet in Synt. Jur. Civil. Exerc. 48. §. 29. 30.*

) ( 2

§. XXIV.

§. XXIV.

Traditio vineæ est acquisitio domini derivativa vineæ, quæ jure Naturæ sustinetur. *Diss. Grot. 2. de J. B. & P. c. 6. n. 1. c. 8. n. 25.*

§. XXV.

M. F. possessor non restituit fructus vineæ, quam ipse plantavit.

§. XXVI.

Emphyteuta vineæ expelli potest a domino, si incidat arbores antiquas populorum.

§. XXVII.

Vinea ad bona Ecclesiastica pertinens non potest alienari, nisi Consistorii vel Magistratus Ecclesiastici, cui hæc facultas a Principe tanquam sacrorum domino est concessa, accedat consensus.

§. XXVIII.

Servitus Vineæ est rustica, cum & Vineæ, (sub quibus & hortos vitibus consitos comprehendo) sint prædia rustica.

§. XXIX.

Ad vindemiam colligendam etiam invito domino per illius agrum iter facere licet.

§. XXX.

Per medias vineas iter agere non concessum est.

§. XXXI.

Si via publica aquis sit occupata, agere licet oves suas per vicinam vineam.

§. XXXII.

§. XXXII.

Via vicinalis inter vineam sumptibus utrorumque qui ea utuntur, est reparanda.

§. XXXIII.

Servitus Pascui in Vinea nullum habet locum; & ex eo nemo potest fundum suum immutare in vineam, nec quid facere, quo hæc servitus impediatur.

§. XXXIV.

Servitus sumendi pedamenta etiam consistit, licet succisa sit sylva, quæ hanc debet servitutem.

§. XXXV.

Jus uvæ in alieno exprimendæ, non extenditur ad vineas postea quæsitæ.

§. XXXVI.

Vini non datur usufructus.

§. XXXVII.

Vvæ sunt fructus industriales.

§. XXXIIX.

Cui Vsfusfructus vineæ est constitutus, non tantum fructus colligere, sed etiam uvas torculari submittere potest.

§. XXXIX.

Pendentes fructus vineæ ad hæredes non transmittit usufructuarius, quod tamen limitatum Jure Saxonum.

§. XL.

Vsfufructuarius in locum demortuarum vitium alias subserere debet.

§. XLI.

Mutata vinea in agrum, tenetur dominus solvere frumenti ibi nati decimas: si vero perceptor decimarum

) ( 3 inde



inde damnum sentiat, illud is, qui mutavit vineam, singulis annis resarcire tenebitur.

§. XLIII.

Ususfructus areæ permanet, in qua vinea plantatur, nec adversatur *l. 5. §. pen. π. quib. mod. ususfr. amitt. l. 61. de usufr.*

§. XLIV.

Vendita vinea & pedamenta & sarmenta & vites & torcular vendita censentur, modò torcular sit contiguum, aut alias ad utilitatem vineæ comparatum.

§. XLV.

Vindemiæ quoque emi possunt.

§. XLVI.

Licet vindemiarum tempore pluat, vinum tamen pro puro vendi potest.

§. XLVII.

Vini degustatio transfert periculum ad emptorem.

§. XLVIII.

Clericus quoque vinum, quod ex suis vineis collegit, vendere potest.

§. XLIX.

Vir obligatus dotali pecunia emere stabilia, satisfacit emendo vineam.

§. L.

Retrovenditio non fit pendente vindemia.

§. LI.

Fructus vindemiæ maturæ non veniunt in retractum.

§. LII.

Colonus debet propagare vineam.

§. LIII.

§. LIII.

Statutum de vino haud extenditur ad uvas.

§. LIV.

Nec prohibitio extrahendi vinum obligat extrahentem uvas.

§. LV.

Racemare hodie quoque licet collecta vindemia.

§. LVI.

Musta inter vindemias duorum pluriumve, casu vel data opera confusa, fiunt communia.

§. LVII.

Servitus in alieno torculari uvas premendi per non usum decursu decennii interdum amittitur, & quandoque est personalis.

§. LVIII.

Etiam vinaciorum nomine furti agi potest.

§. LIX.

Legato vino neque cullei neque utres cedunt.

§. LX.

Legatum vineæ annuum ex vinea feudali præstandum valet.

§. LXI.

Si viotori locaveris lacum vino plenum curandum, & ille cum pertuderit, vinum sit effusum, in factum competit actio.

§. LXII.

§. LXII.

Si quis mihi vendat dimidiam partem fructuum suæ vineæ, non potest deducere expensas.

§. LXIII.

An vinum vetus pro novo reddi vel solvi invito creditori possit, disquirunt interpretes? Nobis negandum videtur.

§. LXIV.

Si quis vinum legaverit, omne continetur, quod ex vinea natum vinum permansit: œnomeli plane id est dulcissimum vinum etiam continebitur: non vero hydromeli, nec defrutum.

§. LXV.

Ex eo vino, quod in illa vinea nascitur, hæres iussus est dare amphoras decem quotannis in annos singulos: quæritur, si anno aliquo vinum non natum, an ex superioris anni proventus defectus sit supplendus? Aff.









ULB Halle  
006 224 121


3



Vol 18  
VJ 17







7.

1687, 38

24

364

AE.  
JVRIDICA

E I S,

SIDIO  
AMISTRVVII,

SAXO-VINARIENSIVM  
INTIMI,

QVE SAXO-JENENSIS  
PRAESIDIS

IMI,  
LIS ADSESSORIS

II,  
E ET SCABINATVS

RII,  
SSA VENERATIONE  
EQVENDI,

ONI EXPONET  
OB STRVVIVS.

CH. NISII.  
XVII.

